

cóndita? Nisi ergo cunctas res tuas venúmdabis, non emes; nisi curióse quæras, non invénies. Duo hæc quippe nobis ad salutem necessariá sunt, sæculárium rerum contéptus, et jugis vigilántia.

R. Média nocte.

Lectio ir.

QUærenti enim (inquit) bonas margaritas, et cum invenisset unam pretiosam, vendidit quaecumque habebat, ac emit eam. Una quippe veritas, nec in multas scinditur partes, ac veluti qui margaritam habet, novit se divitem esse, etiámsi aliis ignótum nonnúnquam illud sit, cum parvo in lóculo margarita recónditur, sic et in prædicatione veritátis, qui ei adhærent, totóque ánimo illam amplectúntur, opuléntos esse non ignórant; quamvis infidéles, thesauri vim non agnoscéntes, fidélium opes conténnant.

Te Deum laudámus.

Ad Bened. Aña. Quamvis plúrimis blandiméntis et minis sancta Liberáta expectarétur, ut fidem christiánam pudicitiamque deséreret, stábilis et firma in agóne permánsit, et in cruce impollútum spiritum Deo réddidit.

Oratio ut supra. 69.

Commém. S. Margaritæ Virg. et Mart. Ana. Símile. **V.** Spécie. **Oratio.** Indulgéntiam.

In ij. Vesp. ad Magnif. Aña. O felix Liberáta, a tyrannórum sævitia liberáta! O gloriósa Wilgefórtis, quæ ubique fortis in certámine repérta es! O patróna admiránda civitátis, et diocésis Seguntinæ! fac nos tuis præcibus ad gáudia cœlestia, quibus frueris, pervenire.

Commém. sequentis.

EADEM DIE.

S. Eliæ

Prophetæ. Duplex.

IN I. VESPERIS.

Añæ. 1. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël.

Ps. de Domin., et loco ult. Lauda Jérusalem.

2. Usquequo claudicátis in duas partes? si Dóminus est Deus, sequimini eum.

3. Si homo Dei sum, descéndat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos.

4. Non ego turbávi Israël, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Dómini.

5. Occidisti, insuper et possedisti. Ecce ego in-

dúcam super te malum, et démetam posterióra tua.

Capitulum ut infra ad Laudes.

Hymnus.

Nunc juvat celsi properare ad alta
Mente Carméli juga, et ore pleno
Vatis Eliæ méritos referre

Laudis honóres.

Dum fames terras premeret, ministro

Utitur corvo: viduæ farinam

Sufficit solers, oleóquæ manat

Hydria pingui.

Hic, Deo fusis præcibus, redúctum

Finibus mortis púerum parénti

Reddit, orándo valet expetitam

Réddere lucem.

Claudit et nubes, aperitque verbo;

Imperat post tres properánte annos

Décidant cœlo, sitiénsque tellus

Hauriat imbres.

Sit Patri summo, genitæque Proli,

Et tibi compar utriúsque sancte

Spiritus laus, impérium, potéstas,

Tempus in omne.

Amen.

V. Verbo Dómini contínuit cœlum. **R.** Et dejécit de cœlo ignem ter.

Ad Magnif. Aña. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophétam, ántequam veniat dies Dómini magnus, et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiórum ad patres eórum.

Oratio ut ad Laudes.

Commém. S. Margaritæ Virg. et Mart., ut in Breviario.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem Prophetárum Dóminum, * Venite adorémus. **Ps.** Venite.

Hymnus ut in j. Vesp.

In I. Nocturno.

Aña. Factum est autem ut ægrotáret filius mulieris matris familias, et erat languor fortissimus.

Psalmi trium Nocturn. de Communi Conf. non Pontificis.

Aña. Dixit mulier ad Eliam: Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememorárentur iniquitátes meæ, et interficeres filium meum?

Aña. Ait Eliás ad viduam: Da mihi filium tuum. Et clamávit ad Dóminum, et revixit puer.

V. Verbo Dómini contínuit cœlum. **R.** Et dejécit de cœlo ignem ter.

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 17.

Exit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Domini ad eum, dicens : Recede hinc, et vade contra Orientem, et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem, et ibi de torrente bibes : corvisque praecepi ut pascant te ibi. Abiit ergo, et fecit juxta verbum Domini : cumque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem. Corvi quoque deferabant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vesperi, et bibebat de torrente. Post dies autem siccatus est torrens : non enim pluerat super terram. Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens : Surge, et vade in Saréphta Sidoniorum, et manebis ibi : praecepi enim ubi mulieri viduae ut pascat te.

R. Recede hinc, et vade contra Orientem, dixit Dominus ad Eliam. *** Qui abiit, et fecit juxta verbum Domini. N.** Abscondere in torrente Carith, et

ibi de torrente bibes : corvisque praecepi ut pascant te ibi. — Qui.

Lectio ij.

Surréxit, et abiit in Saréphta. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei : Da mihi paululum aquae in vase, ut bibam. Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens : Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. Quae respondit : Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinae in hydria, et paululum olei in lécytho : en colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam illum mihi et filio meo, ut comedamus, et moriamur. Ad quam Elias ait : Noli timere, sed vade, et fac sicut dixisti : verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me : tibi autem et filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel : Hydria farinae non deficiet, nec lécythus olei minuetur usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terrae. Quae abiit, et fecit

juxta verbum Eliæ : et comedit ipse, et illa, et domus ejus : et ex illa die hydria farinae non defecit, et lécythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.

R. Abiit mulier, et fecit juxta verbum Prophetae : *** Et comedit ipse, et illa, et domus ejus. N.** Ex illa die hydria farinae non defecit, et lécythus olei non est imminutus, juxta verbum Eliæ. — Et.

Lectio iij.

Factum est autem post hæc, ægrotavit filius mulieris matrisfamilias, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam : Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meae, et interficeres filium meum? Et ait ad eam Eliam : Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, et portavit in coenaculum ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum. Et clamavit ad Dominum, et dixit : Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti ut interficeres filium ejus? Et expandit se, atque mensus est su-

per puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait : Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri huius in viscera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ : et reversa est anima pueri intra eum, et revixit.

R. Reversa est anima pueri intra eum, et revixit, et tradidit matri suae : et ait illi : *** En vivit filius tuus. N.** Tulit Elias puerum, et deposuit eum in inferiorem domum, dicens. — **En. Glória. En.**

In II. Nocturno.

Añã. Factum est verbum Domini ad Eliam, dicens : Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terrae.

Añã. Ait Elias ad Achab : Ascende, comede, et bibe : quia sonus multae pluviae est.

Añã. Manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jézraël.

N. Tu ungis reges ad poenitentiam. **R.** Et Prophetas facis successores post te.

Ex libro S. Epiphánii Episcopi. **De vitis Proph.**

Lectio iv.

Elias Propheta ex Thesbis erat et continente Arabum, de

tribu Aaron Levitæ. Morabatur autem in Galaad, quoniam Thesbis erant ædes sacerdotibus consecratae ac destinatae. Quem cum eniteretur parens ejus, ejusmodi Sobac patri visio apparuit. Viri niveum quemdam præ se ferentes habitum, pusionem salutabant, matrisque uberibus in ignem evellabant; quin et flammam ignis cibi loco ministrabant. Profectus est itaque in Jerusalem genitor, visaque ad sacerdotem retulit. Respondit autem illi chrematismus, hoc est, oraculum, sive responsor: Cave manifestum facias: erit quippe lumen filii hujus domicilium; sermoque ejus, demonstratio ac sententia: et iudicabit Israël cum igne, tum rhomphæa. Hic est ille Elias, qui ter ignem e caelo deduxit, quique imbrem sua lingua gestavit, mortuos item suscitavit, et in caelum denique nimbo seu turbine ignis assumptus est.

R. Ait Abdias ad Eliam: Cum recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro; et tu dicis: * Dic Domino tuo: Adest Elias? **V.** Dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante

cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei. — Dic.

Ex libro sancti Isidori Episcopi.

De ortu et obitu Sanctorum.

Lectio v.

Elias, qui interpretatur Dominus Deus, Thesbites, sacerdos magnus atque Propheta, habitator solitudinis, fide plenus, devotione summus, in laboribus fortis, industria solers, excellenti ingenio praeditus, in exercitatione disciplinae rectus, in sancta meditatione assiduus, metisque mortis intrpidus. Verberavit tyrannos, sacrilegos interfecit, multisque signis virtutum effulsit. Triennii siccitate clausit imbribus caelum. Oravit rursus, et caelum dedit pluvias. Mortuum mulieris filium suscitavit. Cujus virtute hydria farinae non defecit, et vas olei perpetuo fonte manavit. Cujus verbo super sacrificium ignis de caelo venit. Duos quinquagenarios cum militibus caelesti igne combussit. Jordānem transiens, tactu melotis abruptit aquas.

R. Cum venisset Elias ad portam civitatis apparuit ei mulier vidua, colligans ligna: et vocavit

eam: dixitque ei: * Da mihi paululum aquae in vase, ut bibam. **V.** Cumque illa pergeret, ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. — Da mihi.

Lectio vj.

Post hæc igneo currum in caelum raptus ascendit, venturus, juxta Malachiam Prophetam, in fine mundi, praecursurus Christum, annuntiaturus ultimum ejus adventum cum magnis virtutibus prodigiisque signorum, ita ut bellum gerat antichristus adversus eum et Henoch, qui cum eo venturus est, et occidet eos. Cadavera vero eorum tribus diebus et sex horis in plateis insepulta jacebunt. Dehinc suscitati a Domino, regnum antichristi plaga magna percipient. Post hæc veniet Dominus, et interficiet antichristum gladio oris sui, et eos, qui adoraverunt eum. Et regnabit Dominus cum omnibus sanctis suis in aeternum.

R. Expandit se, atque mensus est Elias super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum: * Et exaudivit Dominus vocem Eliæ. **V.** Domine

Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. — Et. Glória. Et.

In III. Nocturno.

Añã. Dixit Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, et invocate nomina deorum vestrorum: qui clamabant, et non erat, qui responderet eis.

Añã. Cum jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias, oravit ad Dominum.

Añã. Orante Elia, cecidit ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam, quæ erat in aqueductu lambens.

V. Beati sunt, qui te viderunt. **R.** Et in amicitia tua decorati sunt.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 17.

In illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum: et transfiguratus est ante eos. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homilia 57. in Matth. paulo post init.

Ejus autem rei gratia Moysen et Eliam produxit? Multas quidem dicere quis

causas posset. Primum quoniam turbæ, alii Eliam, alii Jeremiam, alii priscorum prophetarum unum opinabantur : idcirco Moyses et Eliam ceterorum prophetarum vertices producit, ut quam magnum sit inter servos et Dominum discrimen oculis cernerent, utque recte laudatum crederent Petrum, qui Filium Dei eum confessus est. Deinde quoniam assidue quasi transgressorem legis Judæi accusabant, et blasphemare putabant, quasi gloriam Patris nihil ad eum pertinentem vindicaret. Dicebant enim : Hic non est a Deo, quia sabbatum non servat. Et rursus : De bono opere non lapidamus te, sed cum sis homo, Deum te facis : ut ipsa remonstraretur, quia ex invidia hæc criminabantur, quia neutri horum criminum subjiceretur, nec legis prævaricator esset, nec alienam gloriam sibi acquireret, æqualem se Patri faciundo; eos produxit in medium, quorum alteruter in alterutra istarum rerum præfulsit. Moysi enim legem dedit : quare non fuisset passus Moyses conculcari legem, ut Judæi credébant, nec prævaricatorem ejus, et legum

latóri hostem lator ipse unquam coluisset. Elias autem pro gloria Dei zelavit : quare non astitisset ei, qui æqualem se Patri dicebat, si non esset; nec paruisset illi, qui sibi, quod non habebat, vindicaret.

R. Ait Elias nuntiis regis Samariæ : Numquid non est Deus in Israël, ut eatis ad Beelzebub? Quamobrem hæc dicit Dominus : * De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. **V.** Reversi nuntii ad Ochoziam, dixerunt : Vir occurrit nobis, dicens : Ite, et revertimini ad regem, et dicetis ei. — De.

Lectio viij.

AD hæc omnia illud etiam possumus dicere, ut tam mortis quam vitæ habere potestatem liquido ac vere crederetur, utque supernorum et infernorum Dominus ostenderetur, idcirco Moysen jam mortuum, et Eliam, qui nondum id passus est, in medium produxit. Quartam vero causam Evangelista quoque ipse tetigit. Quænam igitur illa est? Ut crucis gloriam ostendat, et tam Petrum, quam reliquos, qui passionem formidabant,

consolareretur, et ad sublimius erigeret. Non enim tacébant, inquit, sed loquebantur de gloria, quam completurus erat in Jerusalem, de cruce videlicet, ac passione : sic enim ipsam semper appellabant.

R. Factum est, dum tolleretur Dominus Eliam per turbinem in cœlum, * Elisæus clamabat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auriga ejus. **V.** Cumque pergerent, et incedentes sermocinarerentur, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque : et ascendit Elias per turbinem in cœlum. — Elisæus. Gloria Patri. Elisæus.

Lectio ix.

ACcedit ad hæc omnia virtus quoque virorum illorum singularis atque præcipua, quam maxime a discipulis flagitabat. Nam quoniam dixit : Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, et sequatur me : hac de causa eos, qui centies pro Dei præceptorum custodia, et populi qui sibi creditus fuerat, mortem suscepissent, in medium producit : quorum uterque cum animam perdidit, invenit eam. Atque sane magna libertate adversus tyrannos locuti sunt, alter ad-

versus Ægyptium, alter adversus Achab; et quod magnum est, pro ingratis hominibus et inobediētibus, a quibus in atrocibus periculis compulsi sunt : qui etsi privati, ac absque potestate fuerant, propositum tamen habuerunt ab idolorum cultu populum eripere : quorum alter tardus lingua, et voce tenuis, alter etiam aliquo modo rusticior, et uterque sæcularium divitiarum apprime contemptor. Nam neque Moyses quidquam possidebat, nec Elias præter melotem aliquid habebat; præsertim cum veteris essent testamenti, nec tanta gratia signorum pollerent.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Elias, * dum zelat ze-lum legis, receptus est in cœlum.
2. Factum est autem, * cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum, ibant Elias et Elisæus de Gálgalis.
3. Tulit Elias * pallium suum, et percussit aquas, et divisæ sunt, et transierunt ambo per siccum.
4. Cum Elias et Elisæus pergerent, et incedentes sermocinarerentur, ecce cur-

rus igneus, et equi ignei divisérunt utrúmque.

5. Ascéndit Eliás * per túrbine in cœlum; Eliús autem vidébat, et clamábat: Pater mi, currus Israël, et auriga ejus.

Capitulum. Eccli. 48.

Surréxit Eliás Prophéta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritátes illum invidia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

TE magne rerum Cón-
ditor

Mens nostra gliscit láudibus,

In hoc Thesbite máximo,
Quem diligis extóllere.

Hic namque sacri nóminis
Tui zelátor próvocat

Vates Baal nequíssimos,
Victósque jure intérficit.

Illo precánte, víctimas
Absúmit ignis cœlitus:

Hí perstreptétes ácrier
Sunt ómnibus ludíbrío.

Tum Jezabélis impiæ
Vitans furórem nóxium,

Sub junipéro dórmiens
Adesse cernit Angelum,

Panem sibi qui próferens
Lymphámque, jussit pér-
gere

Cibo reféctum strénue
Ad montis Horeb vérti-
cem.

Hoc in cibo jejúnium
Tulit quadragenárium:
Hac vi dapes sunt prædi-
tæ,

Quas dextra Dei pórrigit.
Omnis tibi sit glória,
Verbum, Pater, Paráclite,
Inseparáta Trínitas,
Quæ condidisti ómnia.
Amen.

¶ Eliás in túrbine te-
ctus est. **R.** Et in Eliséo
complétus est spíritus
ejus.

Ad Bened. Añã. Eliás
homo erat similis nobis
passibilis: et oratióne
orávit ut non plúeret su-
per terram, et non pluit
annos tres, et menses sex.
Et rursus orávit: et cœ-
lum dedit plúviam, et ter-
ra dedit fructum suum.

Oratio.

Præsta, quæsumus
omnipotens Deus: ut
qui beátum Eliám Pro-
phétam tuum igneo curru
mirabiliter elevátum esse
credimus; eódem inter-
veniéntem ad cœlestia sub-
levémur, et sanctorum
tuorum consórtio gaudeámus.
Per Dóminum.

**Et fit Comm. S. Margari-
tæ.**

AD TERTIAM.

Capit. Surréxit. *supra.*
R. br. Verbo Dómi-
ni * Continuit cœlum.
Verbo. **V.** Et dejécit de

cœlo ignem ter. Conti-
nuit. Glória Patri. Verbo.
V. Tu ungis reges ad
pœniténtiam. **R.** Et pro-
phétas facis successóres
post te.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 48.

Verbo Dómini conti-
nuit cœlum, et de-
jécit de cœlo ignem ter.
Sic amplificátus est Eliás
in mirabilibus suis.

R. br. Tu ungis reges
* Ad pœniténtiam.
Tu. **V.** Et prophétas facis
successóres post te. Ad.
Glória Patri. Tu.

¶ Beáti sunt, qui te vi-
dérunt. **R.** Et in amicitia
tua decoráti sunt.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 48.

Tu sustulisti mórtuum
ab inferis de sorte
mortis in verbo Dómini
Dei. Qui scriptus es in ju-
diciis témporum lenire
iracúndiam Dómini.

R. br. Beáti sunt, * Qui
te vidérunt. Beáti. **V.** Et
in amicitia tua decoráti
sunt. Qui te. Glória. Beáti.

¶ Eliás in túrbine te-
ctus est. **R.** Et in Eliséo
complétus est spíritus
ejus.

IN II. VESPERIS.

**Omnia ut in primis, præ-
ter sequentia.**

¶ Beáti sunt, qui te vi-
dérunt. **R.** Et in amicitia
tua decoráti sunt.

Ad Magnif. Añã. Tulit
Eliás pállium suum, et
percússit aquas Jordánis,
quæ divisæ sunt in utrám-
que partem, et transiérunt
ipse et Eliséus per sic-
cum. Et ascéndit Eliás
per túrbine in cœlum.

DIE XXIII. JULII.

S. Liborii

Episcopi et Confessoris.

Duplex.

¶ In Principatu Catal.
et Dicecesi Tudensi tan-
tum.

¶ Omnia de Comuni
Confessoris Pontificis præ-
ter sequentia.

Oratio. Exáudi.

Commem. præced. Añã
propria.

In j. Nocturno, Lectio-
nes de Scriptura occur-
rente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ibórius honéstis
paréntibus in Gál-
lia natus, et ab
ineúnte ætate caducárum
rerum illécebras aversá-
tus, egrégiam indolem
præcláris móribus et hu-
manárum sacrarúmque
litterárum stúdiis ádeo di-
ligénter excóluit, ut pro-
césu témporis, probitátis

ac sapientiæ proficiens incrementis, maturitatem virilis ornaret ætatis. Clero ascriptus, ac officiiis functus ecclesiasticis, amplius totum se divino cultui mancipavit, studuitque cunctos actus cogitatusque suos ita ad rationis normam dirigere, ut nihil appeteret poenitendum. Modestia itaque, abstinencia, castimonia aliisque virtutibus conspicuus, Pavacio Cenomansensi Episcopo defuncto, unanimes civitatis consensu, quartus ejusdem sedis Antistes sufficitur.

R. Inveni David.

Lectio b.

EA dignitatis accessione nihil interius immutatus, in concredita sibi Domini vinea excolenda totus fuit. Assidua prædicatione, vitæ innocentis exemplo, et effusa in pauperes caritate præcipue insignis, populi mores reformavit, ac potens in opere et sermone multos integritati vitæ fideique restituit. Domus Dei decorem et cultum egregie promovit, ædificatis septemdecim ecclesiis, in quibus pro jugi divinorum officiorum celebratione et affluentibus populis sacrorum dispensatione diversi ordinis ministros instituit.

Tandem quadraginta novem annis in episcopatu sanctissime transactis, obdormivit in Domino decimo Kalendas Augusti. Eum in cilicio decumbentem, et ad coelstem patriam anhelantem, beatus Martinus Turonensis Episcopus ab Angelo monitus invisit, mortuumque in suburbana ecclesia honorifice sepelivit, ubi multis postea miraculis coruscavit.

R. Posui.

Lectio bj.

Verum post debellatam a Carolo Magno Saxoniæ et Christi jugo subactam, Baduradus secundus Paderbonæ in Westphalia Episcopus, cum adhuc rudem in fide populum ad avitas Gentilium superstitiones sese convertentem animadvertisset, quo illum ab ejusmodi erroribus per novum patronum ac intercessorem apud Deum revocaret, divino monitu ab Aldrico Cenomansensi Antistite Liborii corpus impetravit, et maxima cum celebritate suscepit anno salutis octingentesimo trigésimo sexto. Sacre reliquie cum transferrerentur, omnes illas regiones mirasignorum frequentia illustrarunt. Quorum fama

in dies percrebrescente magnum ubique Liborii nomen esse cepit. Sed ejus virtus contra nephriticos dolores præcipue clarescit, continuis testata beneficiis, ob quæ peculiari fidelium pietate multis in regionibus celebratur.

R. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia.
Ut ignorantiam. **de Comuni ij. loco.**

DIE XXIV. JULII.

S. Francisci Solani

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui plurimas Americæ Gentes per beatum Franciscum ad sinum Ecclesiæ perduxisti: ejus meritis, et precibus indignationem tuam a peccatis nostris averte, et in Gentes, quæ te non cognoverunt, timorem nominis tui benignus immitte. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lektionen de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.



Franciscus Solanus Montiliae, Hispaniæ Beticæ oppido, nobili genere natus,

ac Domini timorem jam inde a puero edoctus, apostolico muneri, quod erat postea suscepturus, in ea ætate præluxit. Nam condiscipulos et natu majores ardenti oratione ad poenitentiam hortari, dissidentes componere, res humanas contemnere, divinas serio meditari solitus erat. Adolescens in ordinem Fratrum Minorum Observantium nomen dedit, in eoque asperioris disciplinæ, humilitatis ac pietatis exemplis oculos omnium ad se trahere cepit. Lectulus illi juncorum strues, pro indusio cilicium, quod grandi fune ita stringebat, ut latera acerrime discruciaret. Noctu se flagris et catenis caedebat, dies anni complures pane tantum, et aqua victitavit; seque aliquando in spinarum acervo nudum projecit, beatum Franciscum imitatus, ut sensus omnis patientia doloris frangeretur. In sacris autem concionibus ipsius caritas maxime enituit, qua plurimos Christo lucrificavit. Pestilentia per Beticam sæviens, ad corpora simul animasque curandas se totum convertit; et ipse lue mortali tandem implicitus, ac Dei manu e periculo ereptus,

in pristino ministério constantius p̄stitit, dum morbus omnino exstingueretur.

R. Honestum fecit.

Lectio v.

Puerum quoque fœdis ulceribus laborantem, ea lambendo sanitati restituit. Exinde magnum esse cœpit in Bœtica Solani nomen. Sed ille hominum laudes aversatus, Deique gloriã, non suam unice querens, Superiores oravit, ut se in Africam mitterent, ad catholicam fidem predicandam, pro qua etiam, si se daret occasio, vitam profundere proptabat. Missione Africana non impetrata, Americanam obtinuit: magnisque periculis non sine miraculo, mari terraque perfunctus, ad sibi paratam a Domino vineam lætus accessit, a qua colenda nulla eum itinerum longitudo, aut vigiliarum molestia retardavit. Peruanas regiones assidue peragrans, ingentem numerum infidelium ad Christum convertit, Christianos a vitæ impuritate ad honestatem passim traduxit. Sæpe in concione, cum copiose de Deo, ejusque Virgine Matre locutus esset, in ecstasim rapiebatur, ali-

quando de Domini cruciatibus verba facturus, voce lacrymis interclusa, audientium fletus ac gemitus eliciebat.

R. Amavit.

Lectio vi.

Summis tandem laboribus pro Dei gloria amplificanda confectus, mortemque presentiens imminentem, sacramentis percipitis, ad iter celestem se comparavit: ac totus in Domini cogitatione defixus, piisque preces ad Deum fundens, et in crucis figuram compositis manibus, Limæ expiravit sexagesimo, Christi millesimo sexcentesimo, decimo sexto, ipso die sancti Doctoris Bonaventuræ, quem eximia pietate in omni vita fuerat persecutus. Demortui color, antea subniger, est in album mutatus, vultusque species venusta confestim apparuit, et suavis odor e corpore erumpere cepit. Servi sui sanctitatem multitudine, et excellentia miraculorum Dominus confirmavit. Aliquot mortui Solani precibus revixerunt: e terra arida fontes excitati, qui sunt adhuc perennes, et salutares; trajecta flumina, pallio super undas instra-

to, nec ejus pedibus marfactis; belluarum ferocia ita compressa, ut ipsi etiam obtemperarent. Quibus omnium præconio celebratis, ac rite cognitis, Clemens decimus eum beatis ascripsit. Novis postea miraculis gloriam Solani Dominus propagavit. Pestiferam luem magna civium strage Montiliæ sævientem repente exstinxit. Virginem tempore pestilentie omnino depositam a presenti periculo liberavit. Quibus etiam probatis, Benedictus decimus tertius anno Christi millesimo septingentesimo vigesimo sexto in Sanctorum numerum retulit.

R. Iste homo.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. 16.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Eunt in mundum universum, predicatè Evangelium omni creaturæ. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Hom. 29. Evang. post initium.

Otest omnis creaturæ nomine omnis natio gentium designari. Ante etenim

dictum fuerat: In viam gentium ne abiieritis; nunc autem dicitur: Predicatè omni creaturæ, ut scilicet prius a Judæa Apostolorum repulsa prædicatio tunc nobis in adiutorium fieret, cum hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. Sed cum discipulos ad predicandum Veritas mittit, quid aliud in mundo facit, nisi grana seminis spargit? Et pauca grana mittit in semine, ut multarum messium fruges recipiat ex nostra fide.

R. Iste est.

Lectio viij.

Neque etenim in universo mundo tanta fidelium messis exurgeret, si de manu Domini super rationalem terram illa electa grana predicantium non venissent. Sequitur: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui confi-

téntur se nosse Deum, factis autem negant.

R. Sint lumbi.

Lectio ix. de Homilia Vigilæ, ut infra; sed si transfertur dicitur sequens

Lectio ix.

Signa autem eos qui credituri sunt, hæc sequuntur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquidnam, fratres mei, quia ista signa non fáctis, minime créditis? Sed hæc necessariá in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem cresceret multitúdo credéntium, miraculis fuérat nutriénda. Quia et nos cum arbústa plantámus, tándiu eis aquam infúndimus, quóusque ea in terra jam coaluísse videámus; et si semel radicem fixerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguae in signum sunt, non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus.

EADEM DIE XXIV.
In Vigilía S. Jacobi
Apostoli et Hispaniarum
Patroni.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio j. Cap. 3.

In illo témpore: Ascéndens Jesus in montem, vocávit ad se quos voluit ipse; et venérunt ad eum. Et fecit, ut essent duodecim cum illo. Et reliqua. Homilia venerábilis Bedæ Presbyteri.

In S. Marci cap. 16.

Erti útique grátia mystérii, ut videlicet mundi salutem, quam verbo prædicarent, suo quoque número commendarent. Ter etenim quaterni duodecim faciunt, et ter quaterni ad prædicandum sunt missi Apóstoli, ut per univérsas quadrati orbis plagas baptizarent gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Unde et de civitate sancta Jerúsalem descendente de cælo a Deo scriptum est: Quia erant ei ab Oriénte portæ tres, et ab Aquilóne portæ tres, et ab Austro portæ tres, et ab Occásu portæ tres. Ubi figuráliter osténditur, quod prædicántibus Apóstolis Apóstolorúmque successóribus, cunctæ per orbem nátiónes in fide sanctæ Trinitátis Ecclésiám essent ingressuræ.

RR. de Fériá occurr.

Lectio ij.

Et ut mitteret eos prædicare, et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia. Postquam nefandos spiritus se prædicare prohibuit, elégit sanctos qui immundos spiritus ejicerent, et ipsi munda Evangelium mente et lingua prædicarent. Quibus etiam ceteras infirmitates curandi, nec non et mortuos suscitandi (ut Matthæus Evangelista scribit) contulit facultatem: ut promissorum cælestium magnitudine attestetur etiam magnitudo factorum, fidemque verbis daret virtus ostensa, et nova facerent qui nova prædicarent. Unde nunc quoque cum fidelium numerositas excrevit, intra sanctam Ecclesiam multi sunt, qui viam virtutis tenent, et signa virtutum non habent: quia frustra miraculum foris ostenditur, si deest quod intus operetur.

Lectio iij.

Et Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi; et impósuit eis nomina Boanérge; quod est filii tonitru. Apte filii tonitru sunt cognominati: quorum unus e cælé-

stibus intonans vocem illam theologicam, quam nemo prius edere nóverat, emisit: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Quæ tantæ virtutis póndere grávida reliquit, ut, si aliquándo plus intonare voluisset, nec ipse capere mundus posset. Sed et ambo sæpe seorsum, et in montem a Dómino duci, et aliquándo sonum de nube terrificum percipere meruerunt: Hic est Filius meus diléctus, ipsum audíte. Prisca quoque nomina méritis aptissima gestabant. Jacobus enim supplantator, Joannes in quo est grátia, vel Dómini grátia dicitur. Namque ille et carnis curam Dómino vocante supplantare, et ipsam carnem Heróde trucidantegavisus est contemnere. Iste ob amoris præcipui grátiam, quam virgináli glória meruerat, super Redemptoris sui peccus in cena recubuit.

Oratio. Da quæsumus, et **Comm. em. S. Christinae ut in Breviario.**

DIE XXV. JULII.

S. Jacobi

Apostoli et Hisp. Patroni.
Dupl. j. classis cum Oct.

IN I. VESPERIS.

Añæ de Laudibus. Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apostolorum.

Capitulum. 1. Cor. 4.

Ratres, Puto quod Deus nos Apóstolos novissimos osténdit, tamquam morti destinátos : quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis et hominibus.

Hymnus.

Defensor alme Hispaniæ,

Jacóbe, vindex hóstium,
Tonitruum quem filium
Dei vocávit Filius.

Huc coeli ab altis sédibus
Convérte dexter lúmina,
Audique læti débitas
Grates tibi quas sólvimus.

Grates refert Hispania,
Felix tuo quæ nómine
Te gloriátur júgiter
Dignáta sacris óssibus.

Tu, cæca nox atque im-
pia

Nos cum tenéret vánitas,
Lucem salutis prímitus
Oris Ibéris impetras.

Tu, bella cum nos cinge-
rent,

Es visus ipso in prælio
Equóque et ense acerrim-
us

Mauros furéntes stérnere.

Freti tuo nos pignore,
Largum tuo te múnere
Rogámus omnes ut tuæ
Spe prótegas præsentíæ.

Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Filio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et omne in sæ-
culum. Amen.

V. In omnem terram
exiit sonus eórum. **R.** Et
in fines orbis terræ verba
eórum.

Ad Magnif. Añæ. Misit
Heródes rex manus, ut
affligeret quosdam de Ec-
clésia : occidit autem Ja-
cóbum fratrem Joánnis
gládio.

Oratio ut ad Laudes.

**Ad Matutinum omnia
ut in Breviario præter
R. ad Lectiones quæ
dicuntur ut supra in Festo
Apparitionis S. Jacobi,
die xxij. Maii.**

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Accessit ad Jesum
mater filiórum Zebedæi
cum filiis suis, adorans et
petens áliquid ab eo.

2. Dic ut sédeant * hi
duo filii mei, unus ad
dexteram tuam, et unus
ad sinistram in regno tuo.

3. Potéstis bíbere * cáli-
cem quem ego bibitúrus
sum? Dicunt ei: Póssumus.

4. Cálicem quidem *
meum bibétis : sedére au-
tem ad dexteram meam
et ad sinistram non est
meum dare vobis, sed
quibus parátum est a Pa-
tre meo.

5. Quicumque volúerit *
inter vos major fieri, sit
vester minister.

Capitulum. 1. Cor. 4.

Fratres, Puto quod
Deus nos Apóstolos
novissimos osténdit, tam-
quam morti destinátos :
quia spectáculum facti
sumus mundo, et Angelis,
et hominibus.

Hymnus.

Jesu, salus mortá-
lium,

Nobis ades, dum dícimus
Laudes Patróno Hispani-
æ,

Tuam canéntes glóriam.
Laudándus hic est únice,
Quod primus in certámine
Apóstolis ex ómnibus
Pro te profúdit sánguini-
nem.

Tui beátus plúribus
Notis amóris máximi :
Quod testis usque interfuit
Reconditis mystériis.

Seu vi poténtis dexteræ
Surgit Jairi filia,
Quando in patérnis ædi-
bus

Est excitáta ab inferis.
Seu vultus ut sol splén-
didus,

Et vestis ut nix cándida,
Thabóris alto in vértice
Signum tuæ dant glóriæ.
Seu monte olivis consito
Angóris est index tui
Sudor tuo de corpore
Ceum gutta manans sán-
guinis.

Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Filio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et omne in sæ-
culum. Amen.

V. Annuntiavérunt ópe-
ra Dei. **R.** Et facta ejus
intellexérunt.

Ad Bened. Añæ. Visi-
távit nos * per sanctum
suum Apóstolum, et fecit
salútem de inimicis nostris
Dóminus Deus noster.

Oratio.

Esto Dómine plebi tuæ
sanctificátor et cus-
tos : ut beáti Jacóbi Apó-
stoli tui munita præsi-
diis, et conversatióne tibi plá-
ceat, et securá mente de-
serviat. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

**Capit. Fratres, Puto. ut
supra ad Laudes.**

R. br. In omnem ter-
ram, * Exiit sonus eó-
rum. In. **V.** Et in fines
orbis terræ verba eórum.
Exiit. **Gloria Patri.** In.

V. Constitues eos prin-
cipes super omnem ter-
ram. **R.** Mémoires erunt
nóminis tui Dómine.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. Cor. 4.

NOS stulti propter
Christum, vos au-
tem prudéntes in Christo :
nos infirmi, vos autem
fortes : vos nóbiles, nos
autem ignóbiles.

R. br. Constitues eos principes, * Super omnem terram. Constitues. **V.** Mémores erunt nóminis tui Dómine. Super. Glória Patri. Constitues.

V. Nimis honoráti sunt amici tui Deus. **R.** Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.
Capitulum. 1. Cor. 4.

NAM si decem millia pædagogórum habeátis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

R. br. Nimis honoráti sunt, * Amici tui Deus. Nimis. **V.** Nimis confortátus est principátus eórum. Amici. Glória Patri. Nimis.

V. Annuntiavérunt ópera Dei. **R.** Et facta ejus intellexérunt.

IN II. VESPERIS.

Añæ et Capit. de Laud. Psalmi ut in ij. Vesperis de Communi Apostol.

Hymnus ut in j. Vesperis.
V. Annuntiavérunt ópera Dei. **R.** Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magnificat, Añæ. O beatum Apóstolum, * qui inter primos eléctus, primus ómnium Apóstolorum Dómini cálicem bibere méruit! O gloriósum Hispániæ regnum, tali

pignore ac patróno munítum, per quem fecit illi magna qui potens est, alleluia.

Deinde fit Commemor. S. Annæ.

DIE XXVII. JULII.

S. Pantaleonis Martyris. Semiduplex.

Ut in fine Breviarii. Commem. Octavæ S. Jacobi Apost. in utrisque Vesperis et Laudibus.

Vesperæ a Capit. de sequenti, Comm. præced. et Octavæ.

DIE XXX. JULII.

Die vj. infra Octavam S. Jacobi Apostoli. Omnia ut in die præter sequentia.

Commem. simplicis. In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Tractátu sancti Augustini Episcopi super Psalmos.

LECTIO IV. In Ps. 44.

PRO pátribus tuis nati sunt tibi filii. Genuérunt te Apóstoli : ipsi missi sunt, ipsi prædicavérunt, ipsi patres. Sed numquid nobiscum corporaliter semper esse potuérunt? Et si unus ipsórum dixit : Cúpio dissólvi et esse cum Christo,

multo magis óptimum est; manére autem in carne necessárium propter vos. Dixit hoc quidem, sed quám diu hic manére potuit? numquid usque ad hoc tempus? numquid usque in pósterum? Ergo illórum abscéssu desérta est Ecclésia? Absit. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii. Quid est, Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii? Patres missi sunt Apóstoli: pro Apóstolis filii nati sunt tibi, constitúti sunt Episcopi.

R. Assúmpsit.

LECTIO V.

Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclésia patres illos appellat : ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in sédibus patrum. Non ergo te putes desértam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi crevit patrénitas. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram. Vide templum Regis, quam late diffusum est, ut nóverint virgines, quæ non adducuntur in templum Regis, non se ad istas nuptias pertinere. **R.** Potéstis.

LECTIO VI.

PRO pátribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram. Hæc est cathólica Ecclésia : filii ejus constitúti sunt principes super omnem terram, filii ejus constitúti sunt pro pátribus. Agnóscant, qui præcisi sunt : véniant ad unitátem : adducántur in templum Regis. Templum suum Deus ubique collocávit, fundamenta Prophetárum et Apóstolorum ubique firmávit. Filios genuit Ecclésia : constituit eos pro pátribus suis principes super omnem terram.

R. Assúmpsit Jesus.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. Cap. 20.

In illo tempore : Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Et reliqua.

De Homilia sancti Joánis Chrysóstomi.

Homilia 66. in Matth.

Sedére autem a dextris, et a sinistris, non est meum dare, sed quibus parátum est a Patre meo. Quibus porro præparátum est? Illis videlicet, qui fulgen-

tíssimis opéribus evasúri sunt. Idcirco vero dixit : Non est meum dare, sed Patris mei; ne quis infirmum atque impoténtem ad hanc ipsum fore retributiónem opinétur. Sed quonam modo? Non est meum, inquit, sed quibus parátum est. Verum ut clárius fiat quod dicimus, exémplo id ante óculos ponámus. Ad editórem igitur múnere atque certáminis, quo multi ac præclári athlétæ cónfluant, duos quosdam ipsi præcipua familiaritáte conjúctos accessisse fingámus, qui amicitia principis freti, postuláre áudeant, ut victóres ipsi præcónio declaráti coronentur. Quibus ille respóndeat : Non est meum id dare, sed quibus labóre atque sudóre præparátum est. **R.** Misit Heródes.

Lectio viij.

NUM igitur quasi non poténtem illum id fácere condemnábimus? Nequáquam, sed justitiam ejus admirábimur : et quóniam non persónam, sed rem respicit, laudábimus. Quemámodum igitur editiós múnere atque certáminis principem, non quia non potest, sed quia non vult luctatiós transgredi leges, et justitiæ

órdinem conturbáre, sic útique Christum id dixisse affirmámus. ¶ Ita úndique illos compellébat in grátia Dei primum, deinde in labóribus própriis omnem salútem, et glóriæ spem repónere. Ideo dixit : Quibus parátum est. Nam si álíi præstantiós videbúntur, si excellentiós, quam vos, ópera factúri sunt, quómodo, illis expúlsis, locum eórum vos occupábitis? An quia mei discipuli estis? idcirco étiam si non digni primátu éritis, præmia tamen quocumque consecutúros vos arbitrémini? **R.** Iste est.

Lectio ix. de SS. MM. Abdon et Sennen, ut in Brev. et eorum Commem. in Laudibus.

Vesperæ de S. Ignatio, cum Commem. Octavæ.

DIE XXXI. JULII.
S. Ignatii de Loyola, Conf. Duplex ij. classis.
Ut in Brev. Romano.
In j. Nocturno, Lectiões. Beátus vir. de Comuni ij. loco.

DIE I. AUGUSTI.
Octava
S. Jacobi
Apostoli. Duplex.
Officium fit sicut in die. Commem. simplicis.

In j. Nocturno, Lectiões de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno, Lectiões. Fundaménta ejus. de Comuni Apost. ij. loco.

In III. Nocturno.
Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore : Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens áliquid ab eo. Et réliqua.

Homilia sancti Ambrósii

Episcopi.

Lib. 2. de Fide ad Grat. cap. 3.



Otétis bíbere cálicem quem ego bíbiturus sum? Dícéntibus autem illis : Póssumus, ait illis Jesus : Cálicem quidem meum bibétis : sedére autem ad dexteram meam, vel ad sinístram, non est meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo. Quam pátiens et clemens Dóminus, quam alta sapiéntia, et bona caritas! Volens enim osténdere, quod non perfunctóriam rem áliquam discipuli postularent, sed eam, quam impetráre non possent, pærogativam eis patérnæ honorificentiæ reservávit, non métuens, ne quid juri próprio derogá-

ret, qui non rapinam arbitrátus est, esse se æquálem Deo, simul diligens discipulos; quia, sicut habes, Usque in finem diléxit eos. Nóluit his, quos diligeret, vidéri quod pèterent denegásse sanctus et bonus Dóminus, qui mallet áliquid dissimuláre de jure, quam de caritáte depónere. Caritas enim pátiens est, benigna est, non æmulátur, non inflátur, non quærit quæ sua sunt.

R. Misit Heródes.

Lectio viij.

DEnique, ut agnoscátis non infirmitátis, sed indulgéntiæ esse quod dixit : Non est meum dare vobis, ubi sine matre filii Zebedæi rogant, nihil de Patre dixit. Sic enim habes : Non est meum dare vobis, sed quibus parátum est. Ita Marcus Evangelista pósuit. Ubi vero mater pro filiis rogat, hoc est secúndum Matthæum. Non est, inquit, meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo. Hic áddidit, a Patre meo, quia majórem indulgéntiam matérnus poscébat afféctus. Quod si putant dicéndo : Quibus parátum est a Patre meo, quod aut Patri plus tribuit, aut sibi áliquid de-

rogávit, dicant utrum et illic putent Patri áliquid derogátum, quia dixit in Evangélio Filius de Patre : Pater non júdicat quemquam. Quod si sacrilégium putámus, dicere quod Pater ita júdicium détulit Filio, ut ipse non hábeat : (habet enim, nec potest amittere, quod habet naturaliter divína majestas) sacrilégium útique aestimáre debémus, quod non potest Filius dare quidquid, aut hómines meréri possunt, aut quævis accíperé creatúra, præsertim cum ipse díxerit : Ego ad Patrem vado, et quodcúmque ab eo petieritis in nómine meo, hoc fáciam. **R.** Iste est.

Lectio ix. de SS. Machabæis et eorum Commem. in Laudibus.

Vesperæ a Capitulo de sequenti cum Commem. præced. et S. Stephani.

EADEM DIE I. AUG. S. Felicis Africani Martyris. Duplex.

Pro princip. Cathalauniæ. Omnia de Communi unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui beátum Felicem veheménti martyrii stúdio inflammásti : córdibus nostris coel-

stis pátriæ amórem infúnde; ut ab ea nec próspere, nec advérsis abducámur. Per Dóminum.

Commem. simplicis. In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

Si ritus sit Duplex maj. vel j. aut ij. classis, Lect. Fratres, Debitóres. de Communi plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.



Elix nátióne Afer, pátria Scillitánus, quæ civitas multis olim Martyribus flóruit, cum Cæsaráe in Mauritánia, ubi litterarum stúdiis vacábat, cruéntam insectatiónem christiáno nómini ab imperatóribus Diocletiano et Maximiano in Hispaniis excitátam audisset; martyrii cúpidus, conscénsa mercatorum nave, Barcinónem áppulit, inde Empórias návigans, et aliquándiu ibi, non sine magno multórum proféctu et incremento cathólicæ fidei commorátus, Gerúndam se cóntulit. Ubi talem sese docéndis confirmandisque in christiána fide ac pietáte pópulis exhibuit, ut tamquam doctor, et apóstolus, et prophéta suspicerétur. Ob eam rem jussu Daciáni a Rufino comprehénsus, et frustra

ab eo ut christiánam religiónem deséreret tentá- tus, virgis crudelíssimè cæsus, mánibus pedibúsque devinctus, in tetrum cárcerem negáto cibo potúque conjicitur. Tum caténis gravióribus onústus, per urbis vias ab indómítis mulis tráhitur lacera- túrque : sed in cárcerem retrúsus, ea nocte ab Angelo invisitur et sanátur.

R. Honéstum fecit.

Lectio v.

POstridie ejus diéi ad aras idolórum addúctus ut eis immoláret, cum nec minis, nec illecebrís, non dicam expugnári, sed ne mínimum quidem labefferi ejus constantia potuisset; úngulis férreis excarnificátus, inversóque cápite ab hora tértia usque ad vésperam sine ullo dolóris indicio suspénsus, ad cárcerem redúctur. Ea nocte custódes, qui áderant, coelésti splendóre perfúsum locum illum squálidum viderunt, et suavíssimis Angelórum concéntibus úndique personántem audierunt. Quod cum Rufino nuntiátum esset, furóre pércitus, victúmque se Mátyris tolerántia et firmitate séntiens, jussit eum colligátis post tergum mánibus in mare demérgi :

sed inde étiam cum Angelórum ministério evasisset incólumis, et mirabiliter dirúptis vínculis per maris undas firmo gressu incédens ad littus venisset, jussus est iterum férreis úngulis sulcári atque effódi, et tándiu usque ad ossa laniári, donec invictum Christo spíritum redderet. Nec vero vicit Mátyrem tyránnus, quem scilicet torquendo victórem, et occidendo fecit immortalém.

R. Desidérium ánimæ.

Lectio vj.

COrpus beatíssimi Felicis Gerúnda conditum fuit, et magna pópulorum veneratióne cum nostrátium tum exterórum ubique celebrátum, uti complúrima templa ejus nómini consecráta demónstrant. Rex ipse Gothórum Reccaréus tam insigni pietáte et obsequio erga hunc Mátyrem Gerúndensem fuisse memorátur, ut régiam ipsam dignitatem ei devóverit, cum videlicet áuream corónam, qua ipse uti consuéverat, ad ejus sepúlcrum venerabúndus donasset. Sacrum Mátyris caput exstat in collegiáli basilica ejúsdem civitátis, título sancti Felicis insignita, ubi festo